

titia per privatam voluntatem et actionem alterius, sine proprio consensu vel legis auctoritate, quod absurdum est. Est ergo illa promissio necessaria ad omne meritum de justitia, etiam inter homines. Probationes autem quæ in contrarium fiebant, procedunt ad summum de debito gratitudinis, quod potest resultare ex beneficio accepto absque prævia promissione, sed, ut jam dixi, illud non est proprium meritum, de quo tractamus. Dices: ergo, saltem hoc modo, potest quis mereri apud Deum, et ipsum facere debitorem, nulla præexistente promissione. Respondeo: ita concedunt aliqui, mihi tamen etiam hoc falsum videtur, et contra Augustinum in locis citatis, qui absolute negat posse nos facere Deum debitorem nostrum, nisi in virtute promissionis ejus. Item est contra ejusdem Augustini rationem, quia Deus est supremus dominus omnium personarum et actionum, et omnia obsequia illi sunt aliis titulis debita; ergo nullo modo fieri potest debitor, etiam ex gratitudine ex vi actionis creaturæ, nisi pactum præcesserit. Non est ergo in hoc æquiparandus Deus cum homine, tum quia unus homo potest alteri beneficium spontaneum et sine pacto conferre, et ideo qui beneficium recipit, est capax debiti gratitudinis, cujus materia seu objectum est beneficium receptum; creatura autem non potest Deo beneficium conferre, sed potius ab illo accipere, eique obsequium præstare; tum etiam quia unus homo potest aliquid boni in alterum conferre, quod ei nullo modo debeat; at vero quicquid servitii vel obsequii homo Deo exhibeat, vix potest debito modo gratum animum ostendere pro beneficiis acceptis; quomodo ergo poterit obligare Deum sibi etiam ex gratitudine, ad aliquid bonum sibi conferendum, nam etiam inter homines, dum unus benefactori beneficium ad æqualitatem rependit, non obligat illum ex gratitudine ad novum beneficium sibi præstandum.

13. *Ad secundum.* — *Ad tertium.* — Ad secundum, admittimus rationem in majori propositione tactam, et negamus minorem, nimirum, hoc debitum justitiæ Deo repugnare, supposita ejus promissione sub conditione condigni operis; nam eo ipso quod talis promissio supponitur, quæ Deo voluntaria omnino ac liberalis est, omnis cessat imperfectio, ut ex dictis non difficile intelligi potest, et infra ex professo tractandum est. Ad ter-

tium respondetur, in privatis contractibus, quales sunt, qui inter homines fiunt, necessariam esse cognitionem promissionis, vel pacti, ut oriatur obligatio; tamen in his quæ per legem publicam statuuntur vel promittuntur, non est necessaria illa notitia. Quia etiam inter homines si publica lege esset propositum præmium facienti tale opus, qui illud faceret cum ignorantia præmii promissi, jus ad præmium acquireret, quia jus ad præmium non nascitur ex speciali voluntate operantis, acquirendi jus et constituendi alium debitorem sibi, sed ex ipso opere, supposita voluntate alterius qui promisit; et ideo neque cognitio promissionis aut præmii est necessaria in operante; nam si esset, maxime propter voluntatem; si ergo voluntas non est necessaria, nec notitia erit. Præterquam quod quamvis aliqua voluntas esset necessaria, vel generalis vel etiam virtualis sufficeret, quia unusquisque censetur velle suis operibus acquirere quicquid potest. Quæ responsio et doctrina multo magis habet locum in pacto seu promissione Dei, nam est a Deo facta per modum cujusdam legis universalis, et divina voluntas, quæ suprema est, potuit sola sua auctoritate illam legem condere, seu promissionem facere, cum conditione talis operis, independenter a notitia talis legis in alio operante. Quod potest a contrario persuaderi, quia peccator etiamsi ignoret pœnam esse pro peccato a Deo statutam, reatum ejus incurrit; ergo e contrario ignorans promissionem præmii, bene operando, jus ad illud acquirere potest. Item Adam ex lege Dei et pacto fuit ita constitutus in caput suæ posteritatis, ut ratione illius omnes in illo peccaverint, et tamen illud pactum habuit efficaciam ex sola voluntate Dei independenter a voluntate Adæ quoad consensum in tale pactum, et consequenter ut peccatum Adæ alios inficeret, non fuit per se necessarium ut Adam habuerit notitiam explicitam talis pacti (quicquid de facto de hujusmodi notitia, an illam Adam habuerit, necne, verum sit); ergo multo magis in meritis liberalis Dei voluntas et generalis promissio sufficit. Accedit quod in superioribus ostensum est, quod ad meritum de condigno apud Deum non est necessaria intentio præmii; ergo neque erit necessaria voluntas acquirendi illud, vel jus ad illud; ergo neque est cur notitia promissionis sit necessaria. Adde denique quod, licet hæc vera sint, considerata præcisa ratione meriti et promissionis, nihilominus

qui bene apud Deum merentur, non possunt omnino ignorare hanc promissionem, quia nemo potest mereri apud Deum sine fide ad salutem necessaria; docet autem Paulus accedentem ad Deum oportere credere quia est et inquirentibus se remunerator sit. Per hanc ergo fidem Dei remuneratoris habetur sufficiens notitia divini pacti seu promissionis, quamvis fortasse a præmio promisso, et de modo promissionis expressa seu distincta notitia non habeatur.

14. *Ad quartum.* — Ad quartum, quod opus non fit dignius ex promissione Dei, eadem responsio applicanda est, quæ in superiori capite de divina ordinatione data est. Concedimus enim promissionem non esse necessariam ut actus meritorius sit proportionatus præmio, et ideo parum referre quod a promissione dignitatem non accipiat. Hoc tamen non obstat quominus promissio necessaria sit ut per actum acquiratur jus ad præmium, quod fieri sine promissione non posset, quia, ratione promissionis sub conditione operis, habet opus sic factum peculiarem connexionem et habitudinem cum retributore præmii, et cum ipso præmio, quam ex sola rei natura non haberet, ut explicatum est. Neque refert quod promissio sit extrinseca actui, quia nihilominus actus innititur illi, et habet peculiarem conformitatem cum voluntate præmiantis, quam sine tali promissione non haberet; et hoc satis est in materia morali, ut actus inde habeat peculiarem vim obligandi alium, seu acquirendi jus ad præmium. Nam hæc vis moralis potius est quam physica, et ideo, licet in actu habeat aliquod fundamentum, potest moraliter compleri per extrinsecam promissionem, seu per habitudinem moralem quæ ex illa nascitur, ut explicatum est.

15. *Ad quintum.* — Ad ultimum de æquiparatione inter meritum et demeritum, respondetur imprimis esse disparem rationem, quia per peccatum non fit debitor Deus, neque obligatur ad puniendum, sed fit debitor ipse peccator et pœnæ obnoxius, et Deus veluti acquirit jus ad puniendum peccatorem propter injuriam acceptam. At vero in merito Deus est qui fit debitor, et quasi obligatur, et homo acquirit jus, et ideo sicut a se tantum habet quod peccet, ita ex se et sine promissione Dei potest se constituere debitorem et pœnæ obnoxium, non tamen ita potest facere debitorem Deum, a quo habet ipsum bonum opus quod operatur, nisi ex parte Dei

fundamentum talis debiti præcedat, quod est promissio sub conditione operis. Deinde hujus discriminis reddi potest optima ratio, quia, licet homo per quodcumque bonum opus Deo præbeat obsequium, semper reddit quod alias Deo debet; imo cum ipsummet opus a Deo accipiat, vix reddit quod pro illo solo beneficio debet, et ideo ex se non habet unde faciat sibi debitum aliquod præmium a Deo reddendum; at vero peccatum est injuriosum Deo ex se, et ex propria conditione talis operis, ut ab homine manat, estque contra obligationem et debitum hominis ad Deum, ideoque per se potest inducere debitum ex parte ipsius hominis, et Deo jus conferre ad suam injuriam vindicandam. Quoad promissionem ergo nulla est æquiparatio. Nihilominus tamen quoad aliquam legem vel ordinationem, quæ in pœnis etiam peccatorum requiratur, aliqua similitudo admitti potest, quia licet peccatum ex se sit dignum pœna, tamen ex sola natura rei non determinat sibi certam speciem vel modum pœnæ, præsertim sensus, ut quod sit in hoc loco, vel in illo, in igne, vel in alia re, etc. Et quoad hoc, esse potest necessaria peculiaris ordinatio ex libera providentia, et lege Dei taxantis unicuique culpæ proprium modum pœnæ, qua lege supposita, unumquodque peccatum merebitur talem pœnam, et non aliam. Sed hoc ad præsens non refert, sed ad materiam de peccatis pertinet, et in tractatu de Purgatorio aliquid tetigimus.

CAPUT XIX.

UTRUM MERITA JUSTORUM IN PECULIARI APPLICATIONE ET IMPUTATIONE MERITORUM CHRISTI NITANTUR, VEL INDE SPECIALEM VALOREM AUT DIGNITATEM HABEANT?

1. *Hæc meriti conditio ex natura rei non requiritur.* — *An vero de facto intercedat inquiratur.* — Hæc est ultima conditio, quæ in meritis hominum apud Deum considerari potest, de qua supponimus ex intrinseca rerum natura, eo utique modo quo in his rebus moralibus considerari potest, non esse hanc conditionem necessariam ad meritum de condigno apud Deum, sicut etiam non erat necessarium gratiam vel remissionem peccatorum nobis per Christum conferri, sed id factum et institutum est ex singulari et excellentiori providentia Dei. Unde multi putant meritum Angelorum, quod sine dubio de con-

digno fuit, non fuisse in Christo fundatum; et in statu innocentiae, si durasset, futura fuisse merita justorum sine Christo, quæ sine dubio essent de condigno; idemque potuisset Deus instituire in natura lapsa sine Christo, si voluisset. Tractamus ergo de conditione secundum ordinem providentiæ et legem a Deo statutam, an, scilicet, supposita Dei voluntate, qua decrevit ut omnis redemptio et sanctitas non nisi per Christum nobis communicaretur, simul etiam ordinaverit, ut merita nostra in Christi meritis proxime nitantur. Dico autem proxime, quia remote seu mediate certissimum est in illis fundari, quatenus gratia, et auxilia, per quæ fiunt, et a quibus dignitatem et valorem habent, propter Christi merita a nobis dantur. Quæstio ergo est de alia immediata applicatione vel imputatione meritorum Christi, quæ ita nostris operibus fiat, ut per illam vel rationem meriti accipiant, vel complementum meriti de condigno, vel aliquam aliam excellentiam seu dignitatem.

2. *Primus error præcavendus circa hanc materiam.* — Et ex supradictis expugnari potest. — *Additur argumentum aliud.* — In quo primum omnium cavendi errores, et doctrina catholica supponenda est. Primus enim error cavendus est hæreticorum, dicentium nostra opera non habere meritum in se, sed constitui formaliter in esse meritorio per meritum Christi illis applicatum, mediante fide. Sicut enim dicunt hominem fieri justum denominatione tantum extrinseca per applicationem justitiæ Christi per fidem ita apprehensæ, sic dicere potuerunt meritum operum nostrorum non esse in ipsis intrinsece, sed esse ipsum meritum Christi illis applicatum per fidei apprehensionem. Hunc modum fingendi merita nostra invenio Lutheranis attributum, non invenio autem proprium ejus auctorem nominatum aut relatam; imo Lutherus non solum absolute negavit nostra merita, sed etiam nomen meriti justorum prorsus abhorruit, et sequaces ejus eodem modo locuti sunt. Facile tamen potuerunt aliqui eorum errare loquentes de merito justorum per analogiam et proportionem ad justificationem; tamen sicut illud fundamentum hæreticum est, ita sententia illa de merito hæretica est. Quia sicut in priori errore de justificatione nihil aliud dicitur, nisi justos non esse justos, sed reputari, et acceptari ac si essent justis, ita in alio errore perinde dicitur opera justorum non esse meritoria, sed reputari et acceptari ac si talia essent, propter

Christum; hoc autem hæreticum esse satis superioribus probatum est. Item in illo modo dicendi revera continetur et asseritur Deum non remunerare opera nostra, sed opera Christi in nobis, sicut ea remunerat in parvulo, quando illum propter Christum sanctificat, vel in nobis, quando præter omne meritum nostrum dat nobis gratiam ex opere operato propter Christum; hoc autem hæreticum esse constat ex supra dictis, et in sequentibus ostendetur, tractando de bonis quæ justi de condigno merentur.

3. *Proximi argumenti assumptum probatur.*

— Assumptum patet, quia, si nostra opera in se non habent valorem meriti, revera non propter illa datur præmium, sed propter opera Christi, in quibus est totus valor. Dicere autem quod nostra opera habent meritum Christi applicatum per fidem, et ut sic dici meritoria quasi apprehensive, hoc nihil aliud in re est, quam dicere Deum propter Christum velle ad præmium acceptare illa opera, ac si essent meritoria, re tamen vera præmium non propter illa dari, sed propter Christum. Et explicatur alio exemplo, quod sine novo errore negari non possit; nam prima gratia, quæ datur peccatori se disponenti per contritionem, sine dubio datur ex meritis Christi, interveniente aliquo actu ipsius peccatoris, et tamen id non satis est ut peccator ipse de condigno primam gratiam mereatur, quia opus sic factum a peccatore non habet valorem ad meritum de condigno primæ gratiæ, et tamen si sufficeret apprehensio fidei vel imputatio, etiam peccator posset mereri de condigno primam gratiam, quia potest apprehendere suam dispositionem ut acceptabilem per Christi merita, ac subinde ut affectam seu vestitam Christi meritis. Et eadem ratione cum libera sumptio Sacramenti opus justi sit, sine quo gratia sacramenti non datur, dicendi essent justis mereri de condigno totam gratiam quæ per sacramentum datur, quod dici non potest. Sequela probatur, quia, licet illa gratia valorem illius operis secundum se spectati, prout est opus ipsius recipientis, excedat, non excedit valorem meritorum Christi, quæ ibi applicantur, et propter quæ Deus præbet tantam gratiam mediante tali opere. Ergo e contrario, sicut homo nunc non meretur de condigno gratiam, quæ per Sacramentum datur ex opere operato, licet detur mediante opere hominis, tanquam conditione, vel causa alio modo necessaria, quia in illo opere ad illam gratiam non consideratur

valor ejus, sed valor meritorum Christi, ita plane si nostra opera non haberent valorem, nos non mereremur, sed propter solum Christi meritum immediate gratiam vel gloriam reciperemus, quod hæreticum est.

4. *Error secundus.* — *Refellitur.* — Alter error in hoc puncto esse posset, si quis putaret nostra opera, etiam prout a gratia procedunt, non habere in se et ex vi gratiæ jam receptæ condignitatem ad præmium vitæ æternæ, nisi id, quod illis deest, per applicationem meritorum Christi, quasi partialiter suppleatur. At hic dicendi modus licet ex parte recedat a præcedenti, quatenus aliquem valorem nostris operibus concedit, nihilominus ex parte illi consentit, quatenus meritum nostrum de condigno vult conflari ex nostro et Christi merito, ita ut ipsum meritum Christi saltem sit quasi partialis forma constituens nostrum opus in ratione meriti de condigno, quod ex vi gratiæ in nostris meritis esse supra demonstravimus. In illo ergo sensu certissimum est applicationem meritorum Christi, ut compleant per se et quasi formaliter merita nostra de condigno, neque necessariam esse, neque fieri in meritis justorum. Quod non sit necessaria, patet ex dictis, tum quia gratia et charitas cum divino auxilio ex natura sua sunt sufficientia principia proxima meriti simpliciter et de condigno, ut supra probatum est; tum etiam quia in Adam vel Angelis fuit verum meritum de condigno, sive habuerint gratiam ex Christo, sive non habuerint. Quod vero talis applicatio non fiat de facto, satis videtur probari ex eo quod necessaria non est, quia eo ipso est superflua, et sine fundamento fingeretur. Maxime vero convincitur, quia, eo ipso quod nostra opera in se et ex proprio principio habent proportionatum valorem ad meritum gloriæ de condigno, impossibile est illis applicari meritum Christi, ut in illa dignitate et proportionem compleantur. An vero cum illis possit sub alia ratione vel ad alios effectus applicari, statim dicemus.

5. *Opinio prima negans in proposita quæstione.* — *Vasquez, l. 2, disp. 214, 6, 3 et 7.* — *Ejus ratio.* — Seclusis ergo his erroribus, et supposito quod nostra opera ex gratia habeant intrinsecam dignitatem et proportionatam ad meritum simpliciter et de condigno, quam haberent etiam si illa gratia non esset ex Christo, difficultas superest inter Catholicos, an præter illam quasi connaturalem dignitatem aliquid illis ex meritis Christi, vel ex conjunctione ad Christum accedat. In quo

puncto modernus quidam gravis partem negantem constanter defendit, negans accrescere nostris operibus, ex relatione vel conjunctione ad Christum et ejus merita, aliquam dignitatem in ordine ad præmium, præter eam quam habent mediante gratia ipsius per Christum communicata, ac subinde non fieri in nostris meritis peculiarem meritorum Christi applicationem vel imputationem, præter eam quæ fit in ipsius gratiæ infusione, vel auxiliorum ejus donatione. Probat autem dictus auctor suam sententiam hoc modo: quia si operibus nostris ex gratia factis accrescit nova dignitas ex meritis Christi, vel illa dignitas accrescit etiam nostræ gratiæ, prout est ex meritis Christi, et per illam communicatur operibus; vel additur ipsis operibus præter totam dignitatem, quam habent a gratia, seu persona grata a qua proxime eliciuntur; neutrum dici potest; ergo. Major ex sufficientia partitionis nota est. Minor quoad priorem partem declaratur et probatur; nam duobus modis potest intelligi gratiam esse digniorem, eo quod per Christum detur. Uno modo, quia intensior datur quoad habitum, vel abundantior, frequentior, et copiosior, aut efficacior, seu congruentior quoad actualia auxilia data per Christum, quam sine Christo daretur. Et hic sensus facile admittitur a dicto auctore et omnibus. Sed non servit instituto, quia tunc opera etiam ipsa erunt in se meliora et digniora ratione majoris gratiæ a qua procedunt, tamen immediate a Christo non habebunt specialem dignitatem, imo et gratia ipsa erit dignior, quia entitative et physice est magis intensa, vel sæpius multiplicata, quam majorem perfectionem habeat quidem a Christo, tanquam a causa extrinseca efficiente, vel physice, vel moraliter, seu meritorie, non tamen habeat illam immediate et quasi formaliter ex alia extrinseca applicatione vel imputatione meritorum Christi. Alio ergo modo dici potest gratia nostra specialem dignitatem habere, ex eo præcise quod per Christum habetur, ita ut, cæteris paribus in intensione, vel alia reali et intrinseca quantitate, seu perfectione, dignior sit gratia quæ datur per Christum quam quæ datur sine Christo. Et in hoc sensu propositio videtur plane falsa, quia gratia, sive habitualis sive actualis, in se ejusdem speciei et rationis est, sive sit, sive non sit data per Christum; nam incredibile et improbable est fingere distinctionem in ipsis gratiis solum ex eo quod habeant vel non habeant illum res-

pectum ad merita Christi. Unde, licet Theologi disputent an gratia fuerit data per Christum Angelis, vel primo homini in statu innocentiae, nihilominus de eadem numero gratia loquuntur, quia per Christum et sine Christo dari potuit; ergo cum in se sit omnino eadem, nulla dignitas inde illi accrescit. Et simili fere ratione probatur altera pars de operibus a gratia procedentibus, nam illa in se non sunt meliora ex eo quod ex gratia per Christum procedant, aut acceptentur propter Christum; ergo nec fiunt digniora ad primum. Antecedens patet, quia ille respectus ad causam extrinsecam non est circumstantia operis, ut ejus bonitatem possit augere. Consequentia autem probatur, quia æquale opus ex favore extrinseco non fit dignum præmio, si ex se non habet illam dignitatem et proportionem, ut supra visum est; ergo neque opus de se minus dignum potest fieri dignius ex illo respectu vel favore extrinseco. Nec refert, quod Christus dicatur in nobis operari, et nos operari ut membra ejus, et ut sumus unum cum illo, morali modo, tanquam membra cum capite: hoc (inquam) non satis est, quia per illam metaphoram solum significatur influxus gratiæ in nobis per Christum et propter ipsum; tamen in re opus meritorium non fit immediate a Christo, tanquam a persona proxime operante, et ideo non potest augere dignitatem operis ultra eam quam habet ex persona grata, sic ex gratia operante. Et confirmatur, quia alias opera nostra si haberent specialem dignitatem a Christo, ut operante in nobis, essent infiniti valoris ac meriti, et de rigore justitiæ, et non solum sibi, sed etiam aliis, quia Christus operans ita dignificat sua opera; consequens autem plane falsum est; ergo signum est nostra opera non accipere aliquam dignitatem a Christo, sed tantum a persona eliciente illa, seu proxime operante.

6. *Opinio secunda affirmans.* — *Proxima opinio affirmans ab auctore admittitur.* — Secunda sententia gravium auctorum est, nostris meritis accrescere aliquam dignitatem ex conjunctione ad Christum et ejus merita, et in hoc sensu peculiari modo applicari meritum Christi nostris meritis seu operibus, non ut per illud in esse meriti de condigno constituantur vel compleantur, sed ut quædam major dignitas vel perfectior justitiæ ratio in eis inveniatur. Ita sensit Cajetanus, 3 tom. Opusc., tr. 9, cap. 9, ubi variis modis explicat influxum specialem Christi in merita

justorum, qui sunt membra ejus, et fortasse nimis illum exaggerat, ut videbimus. Et eodem modo de satisfactione nostra locutus fuerat in 3 part., quæst. 1, articulo 2, ad 4 dub. Et de satisfactione idem tradit Soto, in 4, dist. 19, quæst. 1, art. 2, conclus. 3. De merito vero idem docet expresse Ruardus, artic. 11, § *In particula secunda*, circa finem, ubi dicit in Adamo et Angelis, etiamsi credantur non habuisse gratiam per Christum, fuisse vera merita de condigno, *nostra vero opera plus gratiæ apud Deum habere, quod Christus ea in nobis operari dignatur.* Et infra, § *Occurrunt hic difficultates*, in prima et secunda, hoc idem magis declarat et exaggerat. Et infra, respondens Calvino, proxime post prima Calvini verba, eandem doctrinam late trahit Hosius, in Confess., cap. 73, § *Unde igitur*, cum sequenti, et expresse Vega, quæst. 5 de Justificat., ad 3. Idem tamen in lib. 15 in Trident., cap. 15, videtur in sententiam contrariam inclinare, dum negat fieri justis novam meritorum Christi imputationem, cum beati fiunt. Sed ibi in alio sensu locutus est, ut postea tractando de remuneratione meritorum videbimus. Præterea pro hac sententia citatur Jacobus Payva, libr. 6 Orthodox. interpretation., § *Non solum autem*, ubi solum ait nostra opera ex Christo habere dignitatem ad meritum, postea vero solum id explicat ratione gratiæ, et quia fiunt spiritu Christi. Citantur præterea (quos videre nunc non potui) Alphons. Virvesius, Philipp. 4 contra Lutherum; Lindan., libro 3 Panopl., capit. vigesimo, § *Cæterum, quod doctrina*; Horanti., libro 2 de Locis Cathol., cap. 72, sub finem. Et mihi quidem hæc sententia valde placet, quia optima ratione explicari et facile intelligi potest, et sic intellecta, Christi gloriam et meritum illustrat, et nihil de veritate meriti justorum detrahit, verum potius illius proprietatem et dignitatem exaggerat.

7. *Notatio pro ea probanda.* — *Notatio altera duplicis sensus prædictæ secundæ opinionis.* — Ut ergo hanc veram doctrinam declarem ac suadeam, distinguo, quod supra jam tetigi, in operibus justorum, dignitatem et valorem moralem quem ad meritum de condigno habent, et efficaciam quam habent ad inducendam rationem justitiæ respectu præmii obtinendi. Et sub utraque ratione assero merita justorum digniora fieri ex unione ad Christum, vel ex meritis ejus. Hæc enim duo mihi etiam distinguenda videntur. Duo-

bus enim modis intelligi potest quod accrescat dignitas aut valor operibus justorum ex Christo. Uno modo, ex vi naturalis dignitatis Christi et conjunctionis justorum cum ipso per fidem vivam ejus, quasi per naturalem consecutionem, etiamsi non intelligatur meritum CHRISTI specialiter ordinatum ad eam dignitatem specialem justis promerendam, sed solum ad obtinendam illis gratiam, qua ipsi uniantur, et sic eo ipso illam obtineant cum speciali dignitate quæ operibus eorum consequenter communicatur. Alio modo intelligi potest hæc nova dignitas specialiter proveniens ex voluntate et meritis Christi, qui voluit ut nostra merita aliquam majorem dignitatem vel efficaciam haberent, ad quam nobis promerendam sua opera ordinavit. Et utrumque modum verum censeo, priorem vero melius accommodari ad augmentum valoris et dignitatis operum justorum, posteriorem vero ad augendam in eis justitiæ rationem, et efficaciam obtinendi præmium.

8. *Probatur jam quoad priorem sensum.* — *Exemplis illustratur.* — *Ex Scriptura confirmatur.* — Probo ergo priorem partem, quia gratia justorum, ex eo quod sit in nobis per Christum, licet non sit major intensione, vel in entitate physica, nihilominus habet inde peculiarem dignitatem moralem; ergo ex illa, tanquam ex radice, habent opera, quæ ex illa manant, quamdam majorem æstimationem apud Deum; ergo etiam habent aliquam majorem dignitatem. Antecedens declaratur, quia per gratiam sic acceptam, non solum sancti efficiuntur, et digni vita æterna, quod etiam essemus, etiamsi gratia non esset ex meritis Christi data; sed etiam efficiuntur peculiari modo fratres Christi, et ipsius membra, et unum corpus cum ipso. Quam unionem egregie ipse Dominus per parabolam vitis et palmittum, Joannis decimo quinto, explicuit, et Paulus, ad Ephes. 4, per metaphoram corporis et capitis, dicens: *In charitate crescimus in illo per omnia, qui est caput, Christus, ex quo totum corpus compactum et connexum, etc.*; et 1 Corinth. 12: *Vos autem estis corpus Christi et membra*; et ad Rom. 8: *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Ex hac ergo unione et singulari societate, et quasi propinquitate cum Christo, fieri non potest quin redundet in fideles, Christo per fidem vivam conjunctos, aliqua peculiaris dignitas, id est, specialis ratio, pro-

pter quam et Deo amabiliores sint, et in majori pretio habeantur. Nam filius amici, licet alias sit per se amabilis propter proprias qualitates, peculiari modo placet, quia filius amici est; et mulier per se nobilis, si regi, vel homini habenti altiolem nobilitatis gradum, nubat, nobilior redditur, et sic de cæteris, quæ secundum moralem æstimationem magis quam secundum entitates physicas considerantur. Et sic etiam res omnes per tactum ad personas sanctas quamdam sanctitatem participare censentur, et vestes sanctorum dignæ speciali religione censentur propter Sanctorum excellentiam. Ergo simili modo homines justificati per Christum, licet propter intrinseca dona grati Deo sint, nihilominus quatenus tali modo illa participant, ut per illa speciali modo uniantur Christo, qui a Patre altiori ac singulari modo diligitur, ipsi etiam sunt Patri gratiores; ergo ex hac conjunctione cum Christo per se, et quasi ex natura rei, sine nova vel peculiari applicatione meritorum Christi resultat in justis, et eorum gratia, hæc peculiaris dignitas. Et confirmatur, nam hac ratione docent Sancti Patres naturam humanam, per unionem ad Verbum, in tota specie et omnibus individuis fuisse peculiari modo nobilitatam. Nam, ut Paulus ad Hebr. 2: *Quia pueri communicaverunt carni et sanguini, et filius Dei participavit eisdem, propter quod non confunditur eos fratres vocare, dicens: Nunciabo nomen tuum fratribus meis, Ps. 21.* Et aliqui etiam ex Patribus, c. 19 et 22 Apocal. exponentes, dicunt, cum Joannes Angelum adorare vellet, ipsum renuisse, neque se adorari ab homine sancto permisisset, propter incarnationem Filii Dei, et in peculiarem reverentiam humanitatis assumptæ, propter quam Angeli plus multo hominibus deferant quam antea solerent, præsertim his qui Christo per gratiam et fidem conjuncti sunt, ut ibi notant Ambrosius, Rupertus, Beda, et alii, et late Gregorius, hom. 8 in Evang.

9. *Modus concipiendi prædictum sensum hujus opinionis secundæ.* — *Modus alter.* — Quod si interroges quomodo hæc dignitas justorum ad eorum merita conferat, respondeo duobus modis posse conferre. Primo, quia cæteris paribus, opus procedens a gratia et fide, qua Christo ut capiti tanquam viva membra unimur, amplioris præmii dignum est, et ad majorem gloriam est a Deo ordinatum et acceptum; non tantum pro-